



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

20. S. Bernardinus Senensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

pereamus. Jugum Domini suave! Dæmonis intolerabile. Et ô cæcitatem!  
Præcipit id diabolus, & auditur.

*Instructio meritoria.*

Ad cogitationes de honoribus, favo-  
ribus, promotionibus citò respondeam-  
us: *Si ita placuerit Domino!* At glo-  
riam alteri non dabo. Ut illa omnia  
contemnamus seriò, addamus Lytaniae  
de omnibus Sanctis. Audeamus gene-  
rosi! Habemus potens pro nobis cœ-  
lum!

Festum S. Bernardini Senensis  
ex S. Ordine Seraphico.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**V**ix parvulus, jam pueriles spreverat  
Iusus, & totum se jejuniis, oratio-  
ni, & cultui Mariæ consecravit. Amice  
mi! quando & nos in pleno serviemus  
Deo, ac Mariæ? Cur non modò? Cur  
non hodie? Moram non patitur amor.  
Ut citò fiat.

*Instructio meritoria.*

In honorem S. Bernardini coram  
Imagine Beatissimæ Virginis sæpius fle-  
ctamus

360 XX. Maji. S. Bernardini Senen.

Etamus genua , salutantes Mariam : *Salve Regina!* Hæc enim procurabit , ne pereamus ; efficiet, ut salus nostra de die in diem multiplicetur , & Filio Mariae Domino nostro vita nostra jugi devotione famuletur. Quis igitur non censdicat : *Salve!*

II.

**C**astitas quanta virtus ! Sed præstantissima in S. Bernardino, quô presente ne quidem impudentissimus verbum audiebat proferre minus honestum. O benedictum os ! Cui non nisi sancta , & castissima insunt colloquia Fili ! Ita loqui decet. Sed à quo discimus ? Veneremur Bernardinum ! Suos diriget discipulos.

*Instructio meritoria.*

Ad obtainendam ergo gratiam Conversationis Angelicæ locum recreationis non accedamus , nisi priùs à Jesu, Maria & S. Bernardino petitâ benedictione , & licentiâ coram Sanctissimo , ubi & hymnum præmittamus. *Ave Maris stella* Principes , & potentes hujus sæculi rogari volunt : Cur non & Sancti ?

III. No



III.

**N**omen Jesu S. Bernardinus semper in ore, & in pectore gerebat, suóque vitæ exemplô collapsam pietatem, morisque restituit. Chare! Quæ verba in ore? Quæ opera in corde? Utinam S. Bernardini! Si non sunt; heu! Peccata sunt!

*Instructio meritoria.*

Hodie Officium de dulcissimo Nomi-  
ne Jesu persolvamus magnâ devotione,  
& filiali contestatione, nos aliud posthac  
cogitare, aut loqui non velle, nisi de Je-  
su, Maria, & Sanctis Dei. Hi si non sa-  
pient, vita nostra in periculo est. Sto-  
machus nauseabundus minatur interi-  
tum. Quid mens spiritu, & amore cœ-  
lestium vacua?

Festum S. Mariæ Magdalenaæ  
de Pazzis ex Ordine Beatissimæ Vir-  
ginis de Carmelo.

EXHORTATIUNCULA I.

**V**ix noverat Deum, jam amavit, &  
unicè dilexit. Hinc frequentissi-  
ma in Ecclesia coram Augustissimo Al-

Q taris